

que Forenſis jam pridem eam receperit cum OMNIBUS ſupraſcriptis clauſulis.

XXVI. Hinc etiam concludere non dubitat, quod ob dictam clauſulam QUAVIS auctoritate, hodie hic ceſſet diſputatio, utrum Regula habeat locum in collatione ordinaria.

Similiter Wameſius noſter Conſilio 257. num. 12. De Prabendis poſtquam dixit, aliquorum, ac ſignanter Molinæi opinionem eſſe, hanc regulam non obſervare in reſignationibus ex cauſa permutationis coram Ordinario, ſubjungit: Quorum opinio nunc ſubſiſtere vix poteſt, poſtea quam poſteriores Pontifices ampliando dictam regulam, addere conſueverunt hæc verba, *Acceptum Beneficium, QUAVIS auctoritate conferatur.* Ut non ſit dubium, quin in Ordinariis quoque locum habere cenſentur.

XXVII. At in Gallia idem dici non poſſe apparet: eo quod ibidem hæc regula in Parlamento Pariſienſi reſignata ſit, & pro lege Regni recepta triginta circa annis priuſquam hæc verba, *quavis auctoritate* à Paulo III. fuerunt addita. Et quidem Molinæus relato textu hujus regulæ ſine his verbis, ea ad marginem annotat tamquam à Paulo III. adjecta, unâ monens: *Hæc additio in uſum recepta non eſt Gallis:* qui & in Analyſi ſua ad hanc regulam contendit, eam in reſignationibus coram Ordinario non obſervare; eamque opinionem dicit ab an. 1546. invaluiſſe, & ab eo anno ſecundum ea, ſe paſſim conſuluiſſe fatetur: & à cæteris togati noſtri Ordinis (ait) eorumve majori & ſeniori parte certatim conſulti & reſponderi vidi; ſicque deinceps annis ſequentibus tandem in hoc Senatu pluribus claſſibus congregatis emanavit Arreſtum hoc anno M. D. L. Illuſtrill. Domino Ægid. Magiſtri ſolemmiter pronuntiatum die JOVIS XIV. Auguſti, ſuper Parochia de la Boiſſiere Diœceſis Andegavenſis. quæ XIV. Junii M. D. XLII. per Episcopum Ordinarium collata fuerat ad reſignationem infirmi, qui poſtea eodem menſe, & ſic infra XX. dies ex eadem infirmitate deceſſit: unde Episcopus contulit alii per obitum, qui reperiens reſignatarium priorem in poſſeſſione, contra eum agit poſſeſſorio coram Senecaſchalo Andegavenſi, ubi recredientiam obtinet, Reſignatarius appellat: & per Arreſtum dictum eſt malè judicatum, bene appellatum: intimatus per obitum proviſus in expenſis cauſæ appellacionis condemnatus: & emendando judicium, Reſignatario diſſinitivè adjudicatum plenum poſſeſſorium, cum expenſis damni, & intereſſe cauſæ principalis.

Hæc ille, qui dein tam ex tenore, tum ſcopo ipſius Regulæ æquitatem hujus arreſti oſtendere conatur.

XXVIII. Zypæus tit. de Renunt. num. 3. citato Molinæo, ſimpliciter de hac Regula aſſerit: "Locum verò tantum habet in collatione Papæ, non Ordinariorum." Deinde ſubjungit: "Sed an locum habeat in reſignationibus ex cauſa permutationis factis? Papon lib. 3. Arreſt. art. 2. cenſet habere: Molinæus id exactius num. 29. & ſeqq. examinat, ſentitque nec hoc caſu Regulam reſpectu Ordinariorum obſervare, quod & magis probatur." Imprimis, quod de ſola Gallia Molinæus, nimis generaliter expreſſit Zypæus, qui præcipue pro Belgio Juris Pontificii Analyſim ſcribebat.

XXIX. Ad hæc, ipſa opinio Molinæi nec ab ipſis Gallie Pragmaticis indiſtinctè recipitur, nec hodie in Parliamentis recepta apparet; uti videre eſt apud Broudaum in notis ad Leuicium lit. I. num. 5. & lit. P. num. 42. & Fevretium De Abusu lib. 2. cap. 6. num. 8. & 9. & alios ibidem citatos; qui varias in hac quaſtione Parliamentorum deciſiones & Doctorum opiniones referunt.

Quæſtio hæc circa annum 1673. incidit & agitata fuit in Senatu Regio Metenſi, in qua interveniens Advocatus Regius multis argumentis oſtendit, huic Regulæ in reſignatione ex cauſa permutationis coram Ordinario locum eſſe; atque inter alia aſſerere non dubitavit, Doctores omnes, qui

poſt Molinæum ſcriperunt, uno conſenſu hanc opinionem ſuſtinuiſſe; unâ oſtendens, hanc Regulam eſſe favorabilem: impleti & merito hac reſignatione ſervandam; & conformiter ad hanc Advocati Regii concluſionem judicavit Senatus 22. Novembris 1674. Habetur in libro cui titulus *Journal Du Palais* tom. 5. pag. 196. & ſequentibus.

XXX. Quoad ſimplicem ac puram reſignationem factam coram Ordinario, etiam à conſtituto in extremis, eam ex hac Regula impugnari non poſſe, tamen intra paucos dies à facta reſignatione Reſignans decellerit, ſat apud omnes conſpertum eſt. Neque contra collationem vigore ſimilis reſignationis factam admitti probationem fraudis eo titulo quod ab infirmo facta ſit. Aliud eſt, ſi quis alium titulum fraudis probare vellet; puta nundinationem, conventionem, pactationemve ſecretam inter Reſignantem & Ordinarium: cujus probatio recipi deberet: quia, uti poſt Molinæum ait Broudaus citato num. 42. non licet Episcopo negotiari de Beneficiis.

XXXI. Hodie communiter & de ſtylo derogatur huic Regulæ, quando Reſignans eſt abſens à Curia ait Chokier num. 24. ex Gomeſio ad hanc Regulam queſt. 39. qui tamen dictum ſuum limitat ad eos qui ſunt extra Italiam. "In Italia verò (ait) aliquando ſolet concedi derogatio, quando locus reſignationis diſtat à Curia, & Beneficia quæ reſignanti non ſunt reſervata. Si verò ſit locus vicinus Urbi, cum majore difficultate conceditur.

Hæc derogatio olim rariffima, invaleſcere cœpit à tempore Leonis X. qui ſub initium ſeculi 16. ſedit; nam uti notat Gomeſius, tempore hujus Pontificis ſæpius derogatum fuit huic Regulæ pro pluribus perſonis, ac ſenſim in omnibus reſignationibus inferi cœpit.

XXXII. Derogationem hanc non tantum in præjudicium Ordinariorum, ſed & Graduatorum in Gallia admitti, & in Parliamentis Regii non ſemel deciſum, teſtantur paſſim Pragmatici Gallie. Rebuffus ad Concordata tit. De Collatoribus §. Præſertimque Ordinaris verbo, *Vacare*, aliique paſſim; atque inde inferit Gaſtellus pag. 43. per frequentem hanc derogationem, Regulam penè reddi inutillem: qui pag. 49. allegat veriſimilem rationem introductæ hujus derogationis

XXXIII. An hic in Belgio derogatio ex ſtylo Curie litteris inferi ſolita, vim ſuam habeat in præjudicium Ordinariorum, & Nominatorum Academicorum, non perinde conſtat. Sæpius citatus Vande Velde in ſuis ad hanc Regulam Obſervationibus quaerit: "Sed quid ſi Pontifex derogaverit huic Regulæ, utrum iſta derogatio nocebit Nominato?" Reſponder: "Nequaquam, quia licet derogatio iſta faciat primò quidem ceſſare Regulam, quatenus uſu recepta eſt per modum legis ſeu conſuetudinis perpetuæ.

Cum anno 1624. petium eſſet Placetum Regium in Concilio Privato ſuper litteris proviſionis Apoſtolicæ quibus infera erat clauſula derogationis hujus Regulæ, Concilium annuit petitam Placetum cum hac expreſſa clauſula: *Sans prejudice des parties, leſquelles ſe pourront ſervir de moyens deduits par leurs moyens ou eſcrits pardevant les juges ordinaires ſoit au peſſoivre, ſoit au poſſeſſoir.* Bien entendû que ſi la deciſion des differents ſe trouve dependre DU POINT DE LA DEROGATION DE LA REGLE DE 20. DIEBUS contenus aux Bulles, leſdits juges n'y reſpondront rien ſans en donner part à Sa Majeſté avec leur avis. Id eſt. Sine partium præjudicio, quibus liberum erit adhibere media in reſponſione aut ſcriptis ſuis deducta, Judicibus ordinariis, tam in petitorio, quam poſſeſſorio. Cum hac tamen cautela ut ſi conſtatationis deciſio penderet A PUNCTO DEROGATIONIS REGULÆ DE 20 DIEBUS in Bulla expreſſa, dicti Judices nihil itantur niſi ſuam Majeſtatem certiorem de ſuper fecerint, judiciumque ſuum opinantes adjunxerint.

Eadem rursus quaſtione incidente inter Albertina Du Bois

Bois Supplicante pro Placeto, & Carolum Colins Opponentem occasione, ſimilis proviſionis Apoſtolicæ de Prabenda in Eccleſia Collegiata S. Amati Duaci, multumque coram Concilio Privato eſſet diſceptatum, tandem 19. Julii 1646. litteræ Placeti cum eadem clauſula datæ fuere. Utrumque Decretum reſertur in Reſiſtro MS. Archiepiſcopatus Mechl. Cent. 3. art. 19.

Hinc non obſcurum eſt, Judicibus Regis expeditum haud fuiſſe, num derogatio Regulæ de 20. diebus hic admittenda; atque hujus quaſtionis deciſionem tanti momenti exiſtimari, ut eam inferioribus tribunalibus non crediderint committendam.

XXXIV. Et ſanè, quandoquidem hic in Belgio paſſim inter Ordinarios & Sedem Apoſtolicam ſit recepta & ſtabilita diviſio inſenſum; neque ulla in menſibus Ordinariorum admittatur præventio (uti ſupra tit. 23. cap. 7. num. 25. notavimus) quæ in Gallia juxta eorum Concordata in uſum recepta eſt, mitum videri non debet, ſi non æquè facile hic in Belgio, ac in Gallia derogatio hujus Regulæ in præjudicium Ordinariorum admittatur.

CAPUT VI.

De Regula Cancellariæ, De publicandis Reſignationibus.

1. Hæc regula unde originem habuerit.
2. Reſertur textus regule.
3. Quæ huic regule à Julio III. addita?
4. Regula in Gallia recepta ſine additione.
5. A tempore Gregorii XIII. hæc regula omiſſa, ob novam hujus Pontificis conſtitutionem.
6. In multis locis dicta Conſtitutio recepta non eſt, ſed manet Regula.
7. Quid in hac regule ſtatuat.
8. Quo in loco publicatio faciendâ?
9. Reſignatio cenſetur publicata quando palam innotueſcit.
10. Solemnis & publica miſſio in poſſeſſionem æquivaleret publicationi.
11. Quomodo in Gallia probanda poſſeſſio; & qua poſſeſſio requiratur.
12. Præter poſſeſſionem civilem requiritur publicatio; nec publicatio ſine poſſeſſione ſufficit.
13. Intra quod tempus faciendâ publicatio; & quando hoc tempus currit & incipiat?
14. Regula locum non habet ſi vivo reſignante capta ſit ſolemniter poſſeſſio.
15. Ad quid tempus in Regula præfixum?
16. Vivo reſignante ſufficit, ut ſaltem intra triennium accipiatur poſſeſſio.
17. Reſignante mortuo in poſſeſſione intra tempus à regule præfixum, poteſt Reſignatarius capere poſſeſſionem.
18. Quid in Gallia in favorem Graduatorum & Patronorum ſtatutum.
19. Quaratione Beneficium reſignatum vigore hujus regule vacet per obitum.
20. Beneficium vacans vi hujus Regule per Nominatum Academicum acceptari poteſt.
21. Proviſio facta contra hanc regulam eſt nulla; nec poſſeſſio prodeſt.
22. An huic regule derogari queat?
23. An tempus præfixum prorogari?



LXX Regula De Infirmis Reſignantibus videtur originem accepitſe alia Regula Cancellariæ, quæ dicitur De Publicandis Reſignationibus.

Cum enim fraudatores viderent ſibi

Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

liberum non eſſe, fraudem facere tempore infirmitatis propter Regulam De Infirmis Reſignantibus, cæperunt infirmitatem & periculum mortis prævenire, faciendâ ſanitate reſignationes in favorem; ſed eandem occultando, quamdiu Reſignantes viverent, ut ad mortem uſque Beneficium fruenterent: & ſic major gliſcebat & ſuccedebat fraus, quam ante dictam Regulam De Infirmis: quia nec tempore quidem infirmitatis & mortis detegebatur fraus, ſed demum poſt obitum, & quoad quæ diu poſt. Hæc Auditor Analyſis ad hanc Regulam De Publicandis Reſignationibus; qui ibidem plures fraudes ex ſecretis & occultatis hiſce reſignationibus profluenteſ notavit.

II. His itaque occurrere volens Innocentius VIII. Regulam hanc edidit, reſertuntque à Joanne Chokier his verbis, prout ab hoc Pontifice promulgata fuit: "Item idem D. N. ſtatuit & ordinavit, quod quæcumque Eccleſiastica Beneficia, ſive in Roman. Curia, ſive extra, eam reſignata, niſi de illis factæ reſignationes, ſi in Romana Curia infra ſex meſes; ſi extra dictam Curiam factæ ſint, infra menſem) ex tunc, ubi dicta Beneficia conſiſtunt, publicata, & poſſeſſio illorum ab eis quos id contingit, petita fuerit: ſi reſignantes iſta poſtmodum in eorumdem reſignatorum poſſeſſione decellerint, non per reſignationem, ſed per obitum hujusmodi vacare cenſentur: collationes quoque de illis tamquam per reſignationem vacantibus factæ, & inde ſecutæ, nullius ſint roboris, vel momenti.

III. Notat autem Chokier in commentario ad hanc Regulam num. 12. quod huic Regulæ addiderit Julius 3. poſt verba infra ſex meſes, ſequentia à die data ſupplicationis, non à die præſentis conſenſus. Et in fine poſt verba, collationes quoque, addiderit & hæc, *Et quavis alia diſpoſitiones.*

Regulam cum hiſce appendiculis reſert Rebuffus in Praxi parte 3. ſcripſit enim poſt tempora Julii III. qui ad Pontificatum anno 1550. fuit aſſumptus.

IV. At cum hæc Regula fuerit recepta in Gallia, & reſignata in Curia Parlamenti 26. Auguſti 1493. & effecta lex regni, ut teſtatur Rebuffus, ideo ſine illis appendicibus recepta fuit.

V. Notandum autem, hanc regulam à tempore Innocentii VIII. fuiſſe inter Regulæ Cancellariæ, & ubique in viridi obſervantia uſque ad tempora Gregorii XIII. qui anno 1583. Conſtitutionem evulgavit, quæ incipit, *Humano vix 85.* in Bull. R. qua novam formam publicationis præſcripſit; eamque ubique obſervari voluit; atque ab eo tempore Regula hæc omiſſa fuit; nec hodie inter regulas Cancellariæ reperitur: atque Flaminius lib. 11. queſt. 9. eam Conſtitutionem ubique eſſe receptam.

VI. Verùm in Gallia receptam non eſſe formam publicationis in ea præſcriptam, notorium eſt; notantque omnes paſſim Pragmatici Galli, Regulam Cancellariæ De publicandis reſignationibus obſervari, & in Parliamentis Regii ſecundum eam judicari; idque ad eam normam, qua pro lege regni recepta jam pridem fuit & in Parlamento regiſtrata.

Similiter hic in Belgio non obſervatur Conſtitutio Gregorii XIII. ſed hæc regula, uti notat Vande Velde in ſuis obſervationibus ad hanc regulam: & uſus quotidianus evincit.

Dicit quoque Garcias De Beneficiis parte 11. cap. 3. num. 289. "Quoad reſignationes & permutationes Ordinariis factas, iſta Conſtitutio non videtur uſu recepta in his partibus (Hiſpaniæ) ſaltem in hoc Episcopatu Abulenti.

VII. Quapropter omiſſa hæc Gregoriana Conſtitutio (quam poſt Flaminius Pariſium exponit Chokier in commentario ad hanc regulam) ipſam regulam paucis exponere viſum eſt.

Regula itaque requirit, ut reſignationes publicentur; atque reſignatarii poſſeſſionem petant ab iis, quos id contin-

git; idque intra *ſex meſes*, ſi reſignationes ſint factæ in *Curia*, & intra *meſem ſi extra*: aliàs ſi intra illud tempus publicatæ non ſint, nec petita poſſeſſio; & reſignans in poſſeſſione poſt dictum tempus deceſſerit, Beneficium non per reſignationem ſed per obitum vacare cenſetur: atque collationes de beneficiis tamquam per reſignationem vacantibus factæ, & omnia inde ſecuta nullius ſunt roboris vel momenti.

VIII. Publicatio, de qua loquitur regula, debet fieri in loco Beneficii reſignati: quod ſignificant verba Regule, *ubi dicta Beneficia ſita ſunt*: ut ſcilicet hac publicatione innotefcat in loco Beneficii, quis ſit verus Beneficiarius, ſive quis titulum Canonicum Beneficii habeat. Quia (ait Rebuffus *Gloſſa* 1. ad hanc Regulam) "interſt populi agnoſcere Patrorem ſuum, ut ab eo Sacramenta peti cipiat, non à mercenario, & qui non eſt Paſtor."

IX. Publicatæ autem dicuntur reſignationes, quando palam factæ ſunt in ipſo loco Beneficii, ita ut publicè innotefcere queant: quod multis variſque modis etiam pro diverſitate Beneficiorum fieri poteſt; uti notat & exponit Rebuffus *Gloſſa* 10. monetque Zypæus, formam publicationis in Belgio ſtriſſè non ſervari. "Sufficit enim (ait) ut palam innotefcat, nec celetur reſignatio, etſi in templo coram populo in celebritate Miſſæ aut concionis die feſtivo non promulgetur. "In Jure novo *tit. De Renunt. num. 2.*

X. Hinc notat Antonius Faber *lib. 1. Codicis tit. 2. Definit. 14.* "Satis publicatam (reſignationem) videri, ſi nec vi nec clam, nec precario, ſed publicè reſignatarius miſſus ſit in Beneficii poſſeſſionem. Id enim eſt (ait) quod vulgò dici ſolet, miſſionem in poſſeſſionem publicationi æquivalere."

Et uti ex auctore Analyſis refert Claudius Le Preſtre *Centuria 3. cap. 17.* "Si poſſeſſio non fuerit *momentanea*, nec per actus *civiles*, ſed *reales* & *realiter*, & *palam* continuatos, ita ut juris poſſeſſio non ſolum titularii, ſed effectualis poſſeſſoris adventus abierit in *publicam* notitiam: quia tunc poſſeſſio juris & publicè continuata, *publicationi* & formæ hujus regule æquipollet; imò præponderat, uti ſæpius judicavit Rota, uti refert Gomeſius ad hanc regulam *quaſt. 11.*

XI. Refert ibidem Le Preſtre per Ediſtum Henrici II. de anno 150. *art. 13. & 14.* vetitum eſſe iudicibus, habere rationem provisionum de Beneficiis per reſignationem, niſi vigore illarum poſſeſſio ſolemniter capta fuerit, de qua, quoad Beneficia in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, conſtet per instrumentum ſignatum à Graſſario ſive Notario dictarum Eccleſiarum, in forma & modo quibus instrumenta expedire ſolent, ipſam Proviſi receptionem continens: & in caſum recuſationis, actam publicam iſtius recuſationis.

XII. Quod ſi tantùm intervenerit poſſeſſio momentanea, ſive per actus civiles, quam hodie dicimus poſſeſſionem *juris*, hæc non ſufficit; ſed neceſſaria quoque erit *publicatio* in loco Beneficii, quemadmodum notat auctor Analyſis: qui inſuper obſervat, non ſufficere quoque *publicationem* reſignationis in loco Beneficii, ſive notorium eſſe, reſignationem eſſe factam, quin & collationem Beneficii in favorem reſignatarii ſubſecutam; ſed inſuper requiri poſſeſſionem. Idipſum notat Antonius Faber loco citato *Definit. 59.* dicitque quod regula duo requirat *conjunctim* & *copulativè*, publicationem & miſſionem in poſſeſſionem. Deinde inferit: Ergo alterutrum interveniſſe non ſufficeret. Niſi tamen ipſa *ſolemnis* in poſſeſſionem immiſſio talis ſit, ut publicationi æquivaleret, uti ibi quoque monet Faber.

XIII. Hæc autem publicatio & petiti poſſeſſionis debet fieri intra *ſex meſes* ſi reſignatio facta ſit in Curia, & intra *meſem ſi extra Curiam*.

Pro computatione autem meſium non inſpicitur tempus conſenſus præſtiti, ſed tempus *date ſupplicationis* ſeu *Bulle*; & ita obſervari, & ſæpius judicatum fuiſſe teſtatur

auctor Analyſis *num. 168.* "Quia (ait) hoc favorable eſt Ordinariis, & impetrantibus per obitum poſſeſſorum, quibus hæc regula ſubvenire & prodeſſe voluit."

XIV. Alteram conditionem addit regula: *Si Reſignans iſta (Beneficia) poſtmodum in eorundem reſignatorum Beneficiorum poſſeſſione deceſſerint.*

"Per hunc textum patet à contrario ſumendo, quod ſi reſignans moriatur ante meſem, vel ante ſex meſes in poſſeſſione, Beneficium non vacabit per mortem. "Rebuffus ad hanc regulam.

Unde ex verbis regule rectè collegit Antonius Faber loco allegato *Definit. 60.* "ut locum habeat hæc regula dicendum eſt, tria conjunctim requiri; ut non ſit facta publicatio intra ſex meſes, ut non ſit petita poſſeſſio, & ut reſignans deceſſerit poſt ſex meſes in poſſeſſione: Ex quibus ſi vel unum deſit, non eſt locus regule, & beneficium per reſignationem, non per obitum vacare intelligitur, tametiſi mortuus ſit qui reſignavit. "Et ita Senatum Sabaudia judicaffe teſtatur.

Idipſum ante Fabrum notaverat Auctor Analyſis: qui & *num. 17.* dicit, regulam locum habere, tametiſi reſignatio publicata non ſit, nec poſſeſſio petita intra ſex meſes, ſi modo ipſe reſignans poſt illud tempus in poſſeſſione mortuus non ſit.

XV. Neque enim tempus ſex meſium appoſitum eſt pro forma publicationis, nec ad eam per ſe limitandam: ſed primò, ut infra illas velut inducias, reſignatarius vacet mora & periculo; etiam ſi nulla diligentia per eum facta, reſignans moriatur. Secundò ad limitandum penam & effectum totius hujus regule; ut non habeat locum reſignatio quando cumque moriente, ſed demum ſi in poſſeſſione poſt illud tempus, & ante dictam publicationem deceſſat.

Hæc auctor ille: qui dein *num. 18.* inferit: "Satis eſt, igitur publicationem, & poſſeſſionis petitionem quandoque, cumque vivo adhuc eodem reſignante, & poſſeſſioni incumbente, etiam eo infirmo, jamque in extremis laborante, dummodo non occultè ſed palam, ita ut publicè nota facta ſit in loco Beneficii, antequam reſignans deceſſeret. Et ita practicatur, & obſervatur."

Itaque Reſignatario præſcriptum tempus *ſex meſium*, vel *unius meſis*, ut ſi intra illud tempus non publicaverit reſignationem, & petierit poſſeſſionem periculum ſubeat poſt illud tempus carenti effectui ſuæ reſignationis: ſi nimirum poſt elapſum tempus, non facta publicatione & petita poſſeſſione, ipſe reſignans in poſſeſſione Beneficii reſignati deceſſat.

XVI. Vivo ergo Reſignante nullum tempus regula præſcriptum ad publicandam reſignationem, aut petendam poſſeſſionem; atque ita quoque judicatum anno 1636. refert Le Preſtre loco citato; ibi tamen in notis recentioribus per Guillelmum Gueret Advocatum Parlamenti notatur, hodie requiri in Gallia, ut ſeſſio ſaltem capiat in *triennium* vivo reſignante; aliàs reſignans tamquam triennalis pacificus poſſeſſor, quaſi novo titulo contra Reſignatarium prævaleret.

XVII. Similiter ſi Reſignans moriatur in poſſeſſione ante lapſum tempus ſex meſium vel unius meſis, tunc poſt mortem Reſignantis poteſt Reſignatarius capere poſſeſſionem: neque Beneficium vacabit *per obitum*: quia Regula tria requirit, nimirum ut intra ſex meſes, aut unum meſem nec publicatio facta ſit, nec petita poſſeſſio; ac poſtmodum, id eſt, poſt lapſum illud tempus reſignans in poſſeſſione moriatur: quod hic non contingit: eo quod non poſtmodum, ſed ante mortuus ſit.

XVIII. In Gallia per Declarationem Regiam in Octobri an. 1646. *art. 13.* ordinatum fuit in favorem Graduatorum & Patronorum Eccleſiaſticorum, ut nulla haberetur ratio provisionum factarum in vim reſignationis aut permutationis, que Graduatis aut Patronis poſſent præjudicare, niſi mandata ad reſignandum aut permutandum ſint admilla ante deceſſum Reſignantium vel Permutantium; & inſuper ante dictum deceſſum inſinuata in Graſſariatu Inſinu-

ſinationum. Verba Ediſti Regii ſunt: *Voulans pareillement pour voir aux plaintes des Indultaires, Graduez & autres ayans expectatives recenés en France, enſemble des Patrons Eccleſiaſtiques, défendre que l'on aye aucune égard aux provisions des Collateurs ordinaires & de leurs Vicaires ſur reſignation, demiffion ou permutation, en cas que par telles les Indultaires Graduez, & autres ayans graces expectatives, ſoient privez de l'effet d'ocelles ou les Patrons de leur droit de preſentation, ſi ſes provisions pour reſigner ou permuter ne ſont admiffes avant le decez du Reſignans ou Permutant, & ne ſont inſinuées au Greſſe des Inſinuations avant ledit decez. Ce que voulons être gardé & obſervé par nos juges ſans y contrevenir, à peine de nullité de leurs jugemens.* Id eſt, Volentes pariter ut provideatur querelis eorum quibus de gratia expectativa, prout in Gallia admittitur, proviſum eſt, ſive ratione Indulti, ſive ratione gradus, deinde & Patronis Eccleſiarum: inſubemus, ne aliquis ullo modo deferat proviſionem data titulo reſignationis, abdicacionis, aut permutationis per Collatores Ordinarios aut eorum Vicarios; ſi contingat per dictas proviſiones frustrari effectum gratias expectativas, quas obtinent Indulto donati, Graduati, aut cæteri, aut Patronorum preſentationem impediri, niſi procuraciones ad reſignandum ante deceſſum Reſignantis aut permutantis admilla fuerint, & Graſſus inſinuacionum ante dictum deceſſum exhibitæ. Voluntusque per Judices noſtros id obſervari, nec ſecus agi, aliàs in penam iudicium ipſorum irritum fore.

XIX. Quando autem juxta præſcriptum Regule, Reſignans in Curia Romana intra *ſex meſes*, vel coram Ordinario intra *meſem* omiſit reſignationem publicare, vel petere poſſeſſionem, & poſt lapſum illius temporis Reſignans moritur in poſſeſſione, Beneficium non per reſignationem, ſed per obitum vacare cenſetur. Non quod ipſa reſignatio fuerit nullata: quod ipſe reſignans lapſo tempore ſex meſium habuiſſet jus aliquod, quaſi annullato tunc effectu reſignationis; ſed eo dumtaxat effectu annullatur reſignatio vigore hujus Regule, ut ob omiſſam publicationem & poſſeſſionem intra tempus præfixum, & deceſſum Reſignantis in poſſeſſione poſt illud tempus, "Reſignatarius cadat à jure ſuo, nec Beneficium cenſetur vacare per reſignationem, quod ad hunc effectum, proinde cenſetur Beneficium vacare *per obitum* mortuo poſtea Reſignante, ac ſi numquam reſignaveſſet. "Uti rectè notavit Antonius Faber citata *Definit. 60.* qui & ita refert judicaffe Senatum Sabaudia.

XX. Hinc inferit Vande Velde in ſuis ad hanc regulam obſervationibus, Beneficium vigore hujus regule ob neglectam publicationem reſignationis per Nominatos Academicos tamquam *per obitum* Reſignantis vacans poſſe acceptari: neque dici poſſe reſervatum Sedi Apoſtolicæ tamquam vacans per reſignationem in Curia: quando quidem in Regula expreſſè dicitur, quod non per reſignationem, ſed per obitum vacare cenſetur.

Vult quidem Flaminius *lib. 12. quaſt. 8. num. 6.* Beneficium eſſe reſervatum utpote per reſignationem in Curia vacans: ſed uti monet Vande Velde: loquitur Flaminius in terminis Conſtitutionis Gregorii XIII. quæ vult collationem fieri *caducam*, ſi reſignatio non fuerit publicata, & interim Beneficium vacare per reſignationem, ubi Regula noſtra non vult vacare niſi *per obitum*. "Hæc ille qui monet hanc Conſtitutionem Gregorii XIII. hic non eſſe hæctenus receptam."

XXI. Non tantùm eatenus reſignatio perdit ſuum effectum ut Beneficium cenſetur vacare *per obitum*, & non per reſignationem; ſed inſuper addit Regula: *Collationes quoque & quævis alia diſpoſitiones de illis tamquam per reſignationem vacantibus factæ, & inde ſequuntur nullius ſunt roboris vel momenti.*

Quare ſi vi hujusmodi reſignationis fuerit capta poſſeſſio poſt mortem Reſignantis, non poterit manuteneri in poſſeſſione, in qua Reſignans mortuus fuerat ante publica-

tam reſignationem: cum hic annulletur & titulus, & alia inde ſequuntur, ait Rebuffus *Gloſſa* 17.

Inde ulterius deducit Rebuffus, quod "ſi Reſignatarius iterum alteri reſignaverit, & poſtea primus reſignans, tunc reſolvetur jus tam primi reſignatarii, quam ſecondi."

XXII. Notat quoque Rebuffus *Gloſſa* 13. *num. 18.* quod derogatio hujus non admittetur in Gallia: quandoquidem recepta eſt & regiſtrata in Parlamento, & ſic effecta jus Gallorum. Idem ait tunc auctor Analyſis *num. 3.* ostenditque, hanc regulam fortiorem & firmiorem merito reputari, quam regulam *De Infirmis*; multoque minus conveniens eſſe, ut huic regula derogetur, quam Regule *De Infirmis*. Et ex Ludovico Charonda *lib. 1. Reſp. 23.* ſuper hac regula diſpenſare non poſſe Pontificem, judicatum eſſe refert Zypæus titulo *De Renuntiat. num. 2.* qui ibidem ſubdit: "Sed id hic non admittetur, ſi de poteſtate diſputetur, ſed bene ſi de voluntate, ut ſubreptum eſſe credatur: adeo, que proviſio cum ea clauſula *nulla eſſe* cenſetur, niſi eam circumſtantia purgent."

XXIII. Quod de non admittenda derogatione regule dixit Rebuffus, idipſum de prorogatione temporis ultra ſex meſes ad faciendam publicationem vel petendam poſſeſſionem aſſerit *Gloſſa* 4. atque præter generalem rationem, quod Regula ſit tamquam Lex Regni recepta addit: "Quia per iſtas prorogationes numquam fieret publicatio: & ſic fraudarentur nominati, graduati, & mandatarii, & daretur materia delinquendi. "Quod ultimum præcipuè urget auctor Analyſis loco ſupra citato, ut oſtendat, derogationem hujus regule non eſſe admittendam."

CAPUT VII.

Quando Reſignans à Reſignatione reſilire; vel ad Beneficium reſignatum regredi poſſit?

1. Reſignatio ante admiſſionem Superioris perfectæ non eſt.
2. Nullam vacationem inducit.
3. Reſignatio facta coram Notario non eſt perfectæ reſignatio: & quis hic à Notarii error committatur.
4. Reſignationes in favorem & ex cauſa permutantis ſuſpendantur à conditione.
5. Jus plenum remanet penes Reſignantem niſque ad impletam conditionem.
6. Nec à Reſignante abdicatur quonſque beneficium ſit Reſignatario acquiſitum.
7. Ante acceptationem Reſignatarii & captam poſſeſſionem manet Reſignans in poſſeſſione.
8. Spoliatus poſſeſſione Reſignans eſſet reſtituendus.
9. Non tenetur Permutans poſſeſſionem dimittere, antequam Compermutans Beneficium acceptet.
10. Manet in præſentia poſſeſſione & in omnibus juribus.
11. Admiſſa reſignatione non poteſt Reſignans à tertio turbari.
12. Reſignans poteſt pœnitere ante admiſſionem Superioris.
13. Etiam reſignatione à Pontifice admiſſa, adhuc recedi poterit quamdiu conſenſus formalis non eſt præſtitus.
14. Permutatio non cenſetur perfectæ, niſi alter alterius beneficium ſit aſſecutus.
15. Uno permutantium præmoriente, ex neutra parte cenſetur facta reſignatio.
16. Etiamſi ab una parte facta ſit Beneficii permutatio collatio.
17. Aliquando tamen ſalutis.
18. Beneficio permutato eviſto reſolvitur permutatio.
19. An eo caſu requiratur nova collatio, ut Reſignans ad ſuum Beneficium redire queat?